

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Breviarium hominis christiani - Cod. Ettenheim-Münster 79**

**[S.l.], [18. Jahrh.]**

Caput XV.

[urn:nbn:de:bsz:31-108661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108661)



et in<sup>te</sup> perpetuo requiescam.

3. Quamvis Deus meus aternitas sit intermi-  
nabilis vite tota simul et perfecta possessio,  
adeoq; sibi soli rese, et essentialiter conveniat;  
nihilominus quamdam aternitatis particulam,  
ut ita dicam; animabus nostris, qua sunt  
immortales, communicas, dum eas iuxta exigen-  
tiam meritorum, aut aeternae gloriae, aut aeter-  
nis suppliciis addicis; Scimus enim, quoniam  
si terrestris domus nostra huius habitationis  
dissolvatur, quod adificationem ex Deo habe-  
mus, domum non manufactam aeternam in  
caelis; sicut e converso novimus, quod malipae-  
nas dabunt in interitu aeternas a facie Domini,  
et a gloria virtutis eius; necesse proinde est  
ut homo eat in domum aeternitatis suae; et sic  
quamdam aeternitatem consequatur. O aeterni-  
tas! O aeternitas! quam parum versaris ante  
oculos mentis hominum! O quam terribilis es  
ibi, qui te seria mente considerat. O Domi-  
ne Deus hic ure, hic seca, modo in aeternu  
parcas, et mihi aspiraet Dies aeternitatis gau-  
dii magnitudine immensis plena.

2. Cor. 5.

2. Thess. 1.

Caput XV.

Aspirationes ad<sup>o</sup> ob eius & Deum  
incomprehensibilitate.

O Deus meus nihil est in mundo, quod  
comprehendi nequeat, cum omnia sint fini-  
ta, et limitata; at tu quia finem nescis, pro-  
fus incomprehensibilis es: Et Deus non fores, & certe  
si comprehendi posses; quid est enim compre-  
hendere, nonne cognoscere rem, quantum cognos-  
cibilis est; et per cognitionem ad finem eius  
essentiae, et perfectionis perstringere? Sed tu,  
o mirabilis Deus, in tua substantia, ac per-  
fectione immensus es, et infinitus, et ita in



finitè cognoscibilis; non poteris ergo ab intellectu creato et finito comprehendere; unde nec beati in celo, licet lumine gloria Donati facie ad faciem te intueantur, et in æternum intuituri sint, nunquam tamen te comprehendere poterunt; quemadmodum enim homo in medio mari positus oculis suis quidem ipsum mare clarè videt, non tamen comprehendit, quia adhuc superest amplius et amplius, quod posset videre, ita mihi amantissime Deus, beati et clarè et perspicuè te vident, sed tamen comprehendere nequeunt, quia amplius perfectionis, et pulchritudinis in te est, quod non vident. Et ego hoc incomprehensibile bonum bonorum omnium necdum super omnia diligo! adhuc affectus mei infixi sunt in limo rerum terrenarum ac vanitatum huius mundi! Ah eripe me Domine de luto, ut non amplius infigar. Trahe me post te, ut curram in odorem unguentorum tuorum.

7 quidem

psal. 68. cant. 1.

2. Multa de te dicimus, o Domine Deus, que planè incomprehensibilia perspiciamus. Te fatemur immensum et infinitum, et simul unum ac simplicissimum bonum. Si autem te nihil simplicius, nihil ergo te subtilius est, et quo nihil subtilius, nihil profundius, et profundissimo nihil inscrutabilius, atque adeo nihil incomprehensibilius. Et si in te, o magne Deus, omne bonum est, et quidquid in te est, sumè bonum est, profectò in te erit summa sapientia, summa potestas, summa bonitas, summa suavitas, summa felicitas, summa simplicitas, summa unitas, adeo ut tibi unum



idemque sit et esse, et vivere, et intelligere, et  
 posse, et bonum, suavem ac beatum esse. Hæc  
 autem omnia quam sunt incomprehensibilia!  
 O mi amantissime Deus quid igitur te mira-  
 bilius, quid incomprehensibilius, vno quid de-  
 siderabilius, quid amabilius? quis enim non de-  
 sideret, et amet bonum, quod præ magnitudine  
 comprehendere nequit? Ah amo te mi Deus,  
 magisque amare volo. O Charitas Deus meus,  
 accende me, fac ut te inveniam, o cordis mei  
 desiderium, teneam te o amor anima mea.  
 Possideam te in medio cordis mei, o vita bea-  
 ta o dulcedo summa anima mea.

f. August 10.  
 confess. c. 29.

3. Tu Domine omnia potes, et ubique potes; es-  
 sentialiter enim es intra omnia, extra omnia,  
 infra omnia, et supra omnia. Si intra om-  
 nia, nihil te secretius, si extra omnia, nihil  
 te remotius, si infra omnia, nihil te occultius,  
 si supra omnia nihil te sublimius. Verum  
 o Domine Deus, licet te nihil sit incom-  
 prehensibilius, à te met ipso tamen comprehenderis,  
 non quidem veluti finem quemdam bonitatis,  
 pulchritudinis, ac perfectionis tue attingeres, sed  
 quia te totum cognoscis, quantum cognoscibilis  
 es, adeo ut nihil sit in te, quod non clare  
 videas et quantum cognosci potest, non cognos-  
 cas. Hæc autem est vera comprehensio, non  
 quasi ad finem infiniti perveniens, sed quasi  
 nihil infiniti absconditum relinquens. O mi  
 Deus, quam magnus es consilio et incompre-  
 hensibilis cogitatu. Ob hanc incomprehensibi-  
 litatem tuam à te solo comprehensam te bene-  
 dico, laudo et exalto super omnia, ac te summe  
 diligere cupio. Effice obsecro o dilectissime  
 Deus, ut te, quem tam exigua mensura cognosco,  
 sine mensura amare valeam.

quid ergo te incompre-  
 hensibilius, quo nihil  
 intimius, nihil remo-  
 tius, nihil occultius,  
 nihil sublimius?

Jerem. 52.

~~quid ergo te incompre-  
 hensibilius, quo nihil  
 intimius, nihil remo-  
 tius, nihil occultius,  
 nihil sublimius?~~